



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 20. De ijs quæ creauit secunda die.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MEDITATIO XX.
DE IIS, QVAE DEVS
fecit Secunda die,

a Gen 1. 6.
D Thom. 1.
p. 964.



IXIT Deus: fiat FIRMA-
MENTVM in medio aqua-
rum, & diuidat aquas ab a-
quis: & factum est ita, voca-
uit quē Deus FIRMA-
TVM, COELVM.

PVNCTVM I.

Aeris ele-
mentum.

P RIMVM est considerandum, quòd secun-
do die Deus Dominus noster fecerit, si-
ue perfecerit FIRMAMENTVM, hoc est,
quidquid nunc interiacet inter terram cum
aqua, & coelum, quod fuit creatum in in-
itio, quod minimùm est tota regio aeris.

I. IN quo est perpendenda magnitudo huius
beneficii, propter ingentia bona, quae nobis
adueniunt ex aeris Elemento, quia illo respi-
ramus & viuimus, intra ipsum ambulamus,
per ipsum veniunt species rerum, quas oculis
videmus; soni, & musicae, quas aures percipi-
unt; suaves odores, quos percipit odoratus.
Per aerem lux descendit de Coelo, & influe-
ntia planetarum, pluuia, niues, & ros; per
aerem mouentur venti, & nubes; & ex eo fiunt
multa, quae sunt nostri & vitae necessaria. P. opus
quod mih

quod totum gratias Deo nostro agam magno affectu; & quoties respiro, recentē attrahens aerem, deberem quoque affectum alium laudis, & amoris respirare.

QVARE nunc oculos prouocabo aures, oderatum, cor, & viscera mea, vt propter hoc beneficium, quo fruuntur, & per quod viuūt, & actiones suas perficiunt, Deum laudent; Nunc verò ipsum aerem inuitabo, & res omnes, quæ per eum veniunt, & mouentur, vt suum glorificent Creatorem.

LICET quoque perpendere secretum huius neminis FIRMAMENTVM. nam quod Cœli ipsi firmamentum appellarentur, mirum non fuisset, de quibus dicitur in libro Iob, quod sine b *solidissimi & quasi are fusi*. Sed cum aer b *Iob. 37. 18.* facillimè omnium, quæ sunt in terra, moueatur, & alteretur: ad manifestandam tamen diuinam Omnipotentiam, vocatur FIRMAMENTVM, propter firmitatem, & stabilitatem, quam habet in præstandis munij, ad quæ illum Deus creauit, vt aquas diuideret, vacua omnia replet, nobisque vitam constanter conseruaret, nunquam deficiente aere ad respirationem. O Deus omnipotens, gaudeo, quod ita manifestes stupendam tuam omnipotentiam, in cõiungenda tanta mutabilitate, cum tanta firmitate. Coniunge, Deus meus, cū mutabili mea natura firmitatem, quæ procedit tua diuina gratia, vt perseuerans in expletio, quod mihi mandas, perueniam ad præmiū, quod mihi promittis, in æternum. Amen.

II.

PUNCTVM II.

Nubes.

a Psal. 148. 4
Dan. 3. 60.

DEINDE considerandum, quòd DEVS Dominus noster diuiserit aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentũ; siue sint aliquæ aquæ; quas DEVS seruat super Cælos, in aliquos fines æternæ ipsius sapientiæ notos: siue sint vapores, aut aquæ nubium, quæ mouentur in hoc firmamento, & regione aeris, & postea conuertuntur in pluias. Et nominatim de his loquendo, quas percipimus sensu, ad æstimandum ingens beneficium, quod in nubibus nobis confert DEVS, perpendamus eius prouidentiam, quæ in multis hic relucet.

I.

PRIMVM apparet eius prouidentia in hoc, quod videns, esse necessarium diuidere aquas, quæ terram operiebant, ut eius pars appareret; & sicca existens, fieret habitatio hominum, & animantium; voluit secundo hoc die aliam prius facere aquarum diuisionem, relinquens crassiores, magisque terrestres supra ipsam terram, & ex eisdem eleuare alias subtiliores, ac deliciores ad regionem aeris, quæ sunt nubes, ut illæ siccam terram in tempore humectantes, fœcundam redderent ad b herbas virentes fructusque producendos.

b Iob. 38. 27

HING

IV.

HINC est, quod sua prouidentia DEVS illas gubernat, & distribuit eas pellens per aerem, quocunque voluerit, in bonum hominum; vtens hac misericordia in tempore, quo hominum necessitas pro ea obtinenda clamat. Ac propterea dicitur apud Iob, quod *frumentum desiderat nubes, qua lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod praeceperit illis super faciem orbis terrarum; siue in vnatribu, hoc est, in aliqua regione, siue in terra sua vnde fuerunt eleuata, siue in quocunque loco, etiam remoto, misericordia sua eas iusserit inueniri.* estque tanta eius misericordia, & amor, quem in hoc ostendit vt ipsemet voluerit d *pluuia Pater & roris genitor appellari.* quia paterno amore pluuiam mittit super terram, in illorum commodum, qui illam incolunt.

c Iob. 37. 12.

d Iob. 38. 28

O MISERICORDIARVM Patris, immensas tibi gratias ago, quod te etiam pluuiarum Patrem appellas, illas distribuens amore paterno; non solum super terram *iustorum*, sed etiam *super illas*, quas possident iniusti. Effunde super animam meam pluuiam gratiarum, ne tantae misericordiae ingratus inueniar, sed te laudem, diligam, atque idcirco *gruiam.* Amen.

c Mat. 5. 45

T E R.

III.

TERTIO in eo emicat Omnipotentia, & providentia Dei, quod sustentet in aere tantam immensitatem nubium, quæ sunt aqua plenæ; & cum decidunt, non vno impetu, sed paulatim, & sensim dissolutæ descendunt; & irrigent terram, & in ea imbibantur, quia (ut ait Iob) *Deus ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum, & cum vehementissimus imber impetu descendit, Deus etiam dat illi cursum, & cum sensim, guttatimque descendit, Deus h pluvia guttas dinumerat, & locum præscribit, in quem deflueret.* Omnipotentia sapientissima, & sapientia omnipotentissima, laudent te nubes, & pluvia; & guttæ roris te glorificent in æternum, propter naturam quam illis dedisti; & ordinem, quo easdem distribuis super terram! Et quandoquidem id totum dirigis in hominum commodum, illi etiam te glorificent, tibi que letuiant, pro tanto hoc beneficio, quod à te accipiunt. Amen.

f Iob. 26. 8.

g Iob. 38. 25.

h Eccl. 1. 2.

IV.

DENIQUE perpendam, easdem nubes ex providentia diuina nobis esse, pro umbraculo ut temperent solis ardorem, & splendorem, quando in se recipiunt lumen, quod nobis temperatius, & moderatius communicant: Et propterea apud Iob dicitur, quod *frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum, & pluiam, qua temperant ardores, & calores terræ.* Omnia hæc beneficia initium habuerunt in his, quæ fecit Deus hac secunda die, quæ cum quotidie re-

i Iob. 37. 22.

centia accipiamus, eis que fruamur, par etiam est, quotidie eum laudare, eis que propter illa fideliter seruire.

PUNCTVM III.

TERTIO est considerandū, quod Deus Dominus noster totum firmamentum appellauerit Cœlum, etiam qua parte aërem complectitur, propter similitudinem, quam cum Cœlis habet, quia aer est eleuatus super nos, est trāsparens, & subiectum, in quo recipitur lux, & aliæ qualitates, quas Cœli efficiunt.

S. Thom. 1. p. q. 68. a. 4.

ELEVANS tamen spiritum ad contemplanda mysteria operum secundæ huius diei, considerabo in eis proprietates animæ, quam Deus Dominus noster suum facit Cœlum, ob sanctitatem; quæ postquam ab eius omnipotentia lumen accepit, quo perficitur intellectus, accipit etiam firmitatem, & stabilitatem gratiæ, virtutesque cœlestes, quibus perficitur voluntas, & cor: ita ut qui prius naturæ conditione erat instabilis, firmus sit, & constans, propter Dei protectionem.

I. Anima est Cœlum.

HINC prouenit diuisio aquarum, affectionum videlicet, & propensionum; quæ erant permixtæ, & confusæ; Diuina tamen gratia discernuntur, & separantur, ita ut affectiones rerum terrenarum maneant in loco inferiori

II.

VI. Part. Med.

q

subie-

subiectæ spiritui: affectiones verò rerù Cœlestium asceudant ad locum superiorem, vt carni præfint. Et quamuis pugna fit inter carnem, & spiritum, iuxta illud Apostoli:

a *Gal. 5. 17.* *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem; vincit tamen spiritus, manetque in loco superiori; quia DEI gratia est eius firmamentum, & fortitudo, quæ diuidit firmiter hæc affectiones: ex aquis autem superioribus spiritus descendunt interdum pluuiæ, quæ carnis terram siccam & sterilem rigantes, efficiunt; vt bonorum operum fructus producat, & b vt cor, & caro exultent in Deum viuum, à quo vtriusque prouenit bonum. O DEVS æterne, quomodo non te diligam ob tot bona, quæ à te accipio?*

b *Psal. 83. 3.* *diligam te fortitudo mea, refugium meum, & firmamentum meum: sit mihi gratia tua firmamentum, quo firmiter sciam dissociare pretiosum à vili, vt sim quasi os tuum, amicus, & familiarissimus tibi. Mitte de Cœlo pluuiam cœlestis tuæ doctrinæ, & rorem dulcis sapientiæ, vt supremam hanc rigationem imbibens, fructus feram operum sanctorum, quæ permaneant in vitam æternam.*

c *Psal. 17. 7.*

d *Iere. 15. 19*

III. VLTIMÒ perpendam, quæ fuerit causa, cur

1. q. 74. 4. 3. DEVS non laudauerit opus huius diei, dicens quod esset bonum: sicut laudauit diei præcedentis, & sequentium. Præcipua autem causa fuit, quod Deus non laudem aut omnino approbet opera, donec sint perfecta, & absoluta: cum autem aquarum diuisio inceperit quidem

hoc die, non tamen perfecta fuerit vsq; in sequentem, ideo non dixit hodie, quod esset bona vsq; in diem terciū, quo fuit absoluta. Hoc factum me admonet, vt studeam integritati, & perfectioni vitæ, & actionū mearū. siquidem apud ipsum non iudicatur bona, & perfecta actio, quæ tantum habet bonum principium, si sit exitus malus: nec saluabitur, qui benè cepit, sed qui benè finijt. nā ipse Christus dixit: *e qui perseverauit, vsq; in finem hic saluus erit.*

Hoc ipsum licebit exactius perpendere, si admittatur, q̄ aliqui doctores dicunt: hac secunda die, feria. s. secunda, peccauisse malos Angelos, ideoq; Deū illos à bonis separasse, bonos super firmamentū relinquēs, malos vero proijciens in abyssū, *f gementes sicut Gigantes sub aquis*, & propter hanc causā dicunt Deū Dñm nostrum non appellasse bonū, q̄ hoc die erat factum, videns iniquitatem, & peccatum quod illo die à dæmonibus accepit initium, qui benè incipientes malum exitum habuerunt, *quia g in veritate non steterunt*, & in luce, quā acceperant. Ex hoc exemplo documentum accipiam, timendi imbecillitati meæ, si malos Angelos aspiciam; & confidendi virtuti Dei, si aspiciam bonos. Et magno affectu laudabo Deum nostrum, ob collatum illis perseverantia beneficium; & illis congratulabor de gloriā, quam sunt consecuti; & orabo eosdē, vt me à dæmonibus tueātur, & mei sint apud Deum aduocati, vt ille sit fortitudo mea, perseverantia, & corona mea in sæcula. Amē.

*c Matt. 10.
22.*

*Albert. in
2 d. 5.*

*Diony. Car.
thag ib. q. 6*

*Mag. hist.
suo Gen. c. 4*

*dicit esse
traditionē*

*Hebr.
f Job. 26. 5.*

*g Ioan. 8.
44.*

ETIAM licebit aliud quid mysticum hic
perpendere, quod non dederit Deus suam be-
nedictionem 2. diei, eò quòd esset principium
diuisionis dierum, ac propterea signum dis-
sensionis, & disiunctionis, quæ aduertitur
vnitati, & coniunctioni, quæ propria est cha-
ritatis, & plurimum ipsi Deo placet, & effon-
dit suam benedictionem in eos, qui illam am-
plectuntur, quam benedictione denegat illis,
qui vnionem horrentes, ab ea se separant, &
ita dixit Dauid: *h Ecce quàm bonum, & quàm
iucundum, habitare fratres in vnum: quo-
niam illic mandauit Dominus benedictionem,
& vitam vsque in seculum.*

S. Thom.
supra.

h Psal. 132. 1

i Luc. 10. 42

k Psal. 83. 11

QVOD cùm ita sit, rationi consenta-
neum est, me illud i V N V M eligere, quod
CHRISTVS dixit esse necessarium, vt per-
ueniam tandem ad fruendum vnico illo
die, de quo: Dauid: *k Quia melior est dies
vna in atrijs tuis, & domo tua, super milia,
extra eam: ac propterea fugiam om-
nem fraternam dissensionem, &
diuisionem, quæ diuinam be-
nedictionem ex-
pellit.*

